

DISSERTATIO PHILOLOGICA  
*VATICINIUM MORIENTIS JACOBI*

GENES. XLIX: I - 27.

VERSIONI US ET NOTIS ILLUSTRATUM

EXHIBENS.

---

cujus

*PARTEM PRIOREM*

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. AEGËNS.

*PUBLICO SUBJICIUNT EXAMINI*

*GUSTAVUS HENR. FORSIUS*

*Phil. Mag. & S. S. Theol. Docens*

&

*CAROLUS GUSTAVUS NYKOPP,*

*Stipend. Regius, Viburgenses.*

IN AUD. PHYS. DIE VI JUNII MDCCCVII.

H. A. M. C.

---

*ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.*

KONGL. MAJ:TS

Trotjenare, Cornetten,

Välådle

Herr NILS JOH. NYKOPP,

och

Cornetskan

Välådla Fru

CATH. ELIS. NYKOPP,

FÖDD FABRIKUS,

Mine Ömmaste Föräldrar!

*Mot Eder hulda och aldrig tröttade omsorg för mitt väl  
lägrade länge mitt hjerta af gränslös vörnad, ren erkänsla  
och öm kärlek. Dessa känslor redan införlifvade med min  
varelse, redan ofta af mig enskilt yttrade, redan lika ofta  
af Er godhet med bifall emottagna, går jag nu att jemväl  
offentligen förklara. Min tacksambet behöfde inga vittnen,  
men äfven inför allmänheten ville den erkänna sin förbin-  
delse. Med djup vörnad, med hjertats hela tillgifvenhet  
framhårdar jag att vara*

De Ömma Föräldras

Ödmjuk-Lyåigste Son

CARL GUST. NYKOPP.

αὐτῶν ἀποστολῶν ἡμετέρας ἐκείνης ἐν ἀποστολῶν.

SIRACH,



VATICINIUM  
MORIENTIS JACOBI.

*Prooemium.*

**L**ibros, quibus codex veteris Testamenti absolvitur, rite interpretaturo magna & insuperabilia fere sæpius sæpiusque obvia fieri obstacula, neminem, qui huic studiorum generi vel aliquantulum temporis & operæ impenderit, fugere potest. Jam ipsa cana vetustas horum librorum non parum interpreti facescit molestiæ. Quo longius enim repetenda est ætas, qua liber quidam conditus sit: quo propior idem est illis temporibus, quibus non nisi perpauci cogitata sua litteris consignaverint, nullas fere observantes scribendi artis regulas: & quo plura porro vestigia is prodit istorum temporum, quæ ad infantiam humani generis referri solent; eo major discrepantia cogitationum atque morum, qui istis temporibus proprii erant, & qui apud nos vigent; eo difficilius interpreti, in rationem cogitandi istorum temporum penitus se immergen-

gendi, ac eorum mores incorruptos sibi quasi ad-  
 sciscendi. Nec minorem interpreti laborem creat  
 ipsa lingua, qua laudati sacri libri exarati sunt.  
 Quem enim fugit, quantum jam sit operis, lin-  
 guam quandam emortuam, cujus nonnisi perpauca  
 scriptis mandata ad nostra usque secula servata  
 sunt monumenta, ediscendi & rite intelligendi;  
 quam multo magis enitendum, si eadem lingua,  
 non solum qua ipsa vocabula, sed etiam qua singu-  
 las formas vocabulorum, toto a nostra ætate flo-  
 rentibus linguis discrepet cœlo. Nec minimi est  
 momenti observatio, quod isti libri ortum suum de-  
 bent Orientis ingenio vivido & imaginationis pleno,  
 nostratium vero scripta, opera pertinaciori elabora-  
 ta & magis castigata, effigiem præ se ferunt men-  
 tis acrioris & sagacioris Occidentis. Si adhuc ad  
 ipsas res, in hisce libris occurrentes, paullulum  
 attendimus, quæ fere omnes religionem gentis Israe-  
 liticæ, qualis tempore Mosis sancita erat, & cujus  
 perpauca nostra ætate restant monumenta, potissi-  
 mum spectant; non est quod miremur, laborem in-  
 terpretum e spe & opinione haud semper succes-  
 sisse. Tantis presso angustiis interpreti vitio non  
 est vertendum, si in materiis, quas Sacer Codex  
 nobis exhibet, explicandis ad conjecturas, ex argu-  
 mentis, quæ præsto sint, variis ductas, confugerit:  
 modo hanc sibi concedendam facultatem, ultra quam  
 licitum & opus sit, non urserit. Quæ venia ad  
 scripta canæ vetustatis fere omnia extendi debet &  
 potest. Hæc inter celebre *Jacobi* morientis vati-

cinium, quod capite XLIX Geneseos continetur, haud paucis anam vires suas periclitandi præbuit: quorum quisque rationibus, quæ sibi visæ sint, aptissimis suas conjecturas suffulcire conatus est. Quod ad historiam hujus carminis attinet, in partes valde diversas abierunt viri, exegesis sacram tractantes, imprimis recentiores. Quorum quidam, vestigia interpretum veterum fideliter prementes, vaticinium laudatum non solum quoad materiam sed etiam quoad formam, qua conspicuum hodieque carmen excellit egregium, ad ipsum Jacobum auctorem referendum esse putant & probare student (a). Alii contrariam huic fovere sententiam ausi, variò ingeniosorum argumentorum apparatu ostendere conantur, manifesta ævi alicujus posterioris, quam quo conscriptum esse historia sacra perhibet, indicia vaticinium narratum exhibere: plures nempe res in carmine occurrentes, v. c. laudes excelsas, quibus Juda, a quo videlicet rex David originem suam duxit, distinguitur, luculenter prodere, quod poëma hocce, ante tempora regum si vel exstiterit, forma saltem, quam hodie præbet, indutum esse haud potuerit (b). Non quidem negant, Jacobum, quem

pa-

---

a) Cfr. ROSENMÜLLER, Scholia in Vetus Testamentum, ad h. l.

b) Cfr. HEINREICH, De auctore atque ætate capit. Genes. XLIX commentatio, VATER, Commentar über den Pentateuch, MEYER, Versuch einer Hermeneutik des A. T. P. II. p. 366. & BERGER, Praktische Einleitung ins A. T. P. I. p. 198, seqq.

patrem scil. indoles cujusque filiorum latere haud potuit, de fato, quod eorum unumquemque maneret, aliquid veri prædicere valuisse: neque refragantur, Jacobum pro sua terræ Canaan, ubi maximam ætatis partem degerat, notitia, ejusdem regionis portionem, pro situ & natura locorum, unicuique filiorum aptissimam, quam eum post reditum in patriam occupaturum voluit, definire potuisse. Quæ concessa non tamen impedire contendunt, quo minus senioris ætatis esse putetur præfens hujus poëmatis habitus, quam prima ejus procul dubio longe rudior, cum hac elegantiore dudum commutata, forma. Quin putant nonnulli, orationem Jacobi ultimam, quoad princeps suum argumentum, seu qualis illa e moribundi ore prodire potuit, ante inventam scripturam alphabeticam Hieroglyphis e more Ægyptiorum mandatam, ob singularem, quo in gente Israelitica haberetur, honorem diu fideliter conservatam, donec eam, forsitan regum tempore, aliquis poëtarum, dignitate & ubertate rei impulsus, sibi diligentius elaborandam, & vario verborum ac poëticæ dictionis ornatu distinguendam eligeret, tandem politioem & copiosioem, respectu habitæ rerum, quas continet, historiæ Jacobi insertam fuisse. An vero ista conjectura, licet plurium interpretum judicio confirmata (c), locum quendam obtinere de-

---

c) Quæ res ita Cel. FICHHORN probatur, ut dicere haud vereatur: *es ist wohl unter verständigen Forschern des biblischen Alterthums kein Zweifel mehr, daß Jakob*

debeat, nos dijudicandum nobis sumere haud aude-  
mus; non tamen omni, quantum quidem nostro asse-  
qui possumus iudicio, carere veri specie videtur  
opinio, qua carmen nominatum ad Jacobum aucto-  
rem referatur, & ob prædictionem rerum futura-  
rum, quam exhibet, & cujus veritatem eventu  
comprobatam esse historia sacra testatur, vaticinii  
instar censeatur.

His igitur paucis præmissis, haud ingratum ti-  
bi, B. L. fore iudicavimus, si vaticinium laudatum,  
cujus magna pars antea jam inter nostrates quoque  
summa diligentia & eruditione illustrata est (d), legen-  
dum & Latine & Svetice stiterimus, hic illic con-  
spersis rationibus, cur alii potius quam alii inter-  
pretationi assensum præbuerimus: censuram hujus  
nostri operis mitiorem eo certius nobis sperantes,  
quo facilius cuique erit perspectu: *veritatem*, saltem  
quod

---

*selbst unmöglich Verfasser dieses Gesanges sein kan.*  
Allgemeine Bibliothek der biblischen Litteratur, P. III.  
p. 166.

- d) Anno MDCCLXXV, primam partem operis, cui titulus:  
*Oratio orientis Jacobi ad filios, Genes. XLIX: 1-27.*  
*versione & notis explicata*, præside CAR. AURIVILLIO,  
Uplandæ edidit A. A. ARVIDSSON, qui etiam continuatio-  
nem hujus disertationis, semel eodem præside, bis præ-  
sidem ipse agens, quamvis non nisi ad vers. 16, quan-  
tum quidem nobis constat, persecutus est.



quod ad rem in controversiam vocatam attinet (e), in profundo, ut dicitur, demersam & abstrusam esse puteo.

---

**H**istoria facem præferente novimus, patriarcham Jacobum, Josepho reperto, sedes suas e terra Canaan in Ægyptum transtulisse. Ibi aliquamdiu vitam degens, senex jam decrepitus, morbo gravi correptus est. E quo cum se vix convalituum sentiret, de sorte filiorum suorum futura sollicitus, eos convocandos curavit, quo omnibus præsentibus voluntatem suam supremam testatam faceret, præfensionesque suas fati eorum futuri enunciaret. Incipit ergo:

V. I.

---

- e) Quo eo majorem sententiæ nostræ conciliemus fidem, afferre nobis liceat verba *Cel. MEYER*, (L. c. P. I. p. 45.) rem nominatam spectantia: *Je mehr sich dieser (librorum scil. V. T.) Inhalt von Allem, was wir in andern Schriften irgend kennen, entfernt: desto größer wird die Aufmerksamkeit des Auslegers seyn müssen, um sie im Geist ihrer Verfasser zu lesen; desto größer die Schwierigkeit, sich ganz in den Geist eines hebräischen Schriftstellers zu versetzen, sich in seine Lage hineinzuversetzen; und desto größere Sorgfalt und Vorsichtigkeit wird erfordert werden, um das, was ein hebräischer Schriftsteller in seinem Geist gedacht, in seinem Gesichtspunct geredet hat, von dieser Hülle zu entkleiden; und es so darzulegen, wie wir es würden in unsern Worten ausgedrückt haben.*

- v. 1. Congregamini! quo vobis patefaciam,  
quid vobis eveniet posteris diebus!
- v. 2. Convenite! & audite! filii Jacobi!  
audite Israëlem, patrem vestrum!
- v. 3. Ruben! primogenite mi, tu!  
vigor meus! & primitiæ virium mearum!
- v. 4. Animus tuus ob robur, quo emines,  
tumescit instar aquarum imbribus auctarum:  
princeps non eris;  
cubile patris tui ascendisti:  
stratum meum conscendendo profanasti.

v. 6,

- v. 3. כָּחֹי, *vigor meus*, vel potius: *virilitas mea*: intelligitur filius, patri in flore ætatis constituto & plena animi alacritate gaudenti natus.

כָּחֹי *robur meum*, ut in Deuteron. XXI: 17. LXX. vertunt per: τεκνων μου. Vulgata habet: *doloris mei*.

- v. 4. Vocabulum פָּתַח, vel ut quidam legunt: פָּתַח in sacris pandectis non nisi hoc in loco hac forma usurpatum legitur: quam ob rem etiam in vera hujus vocis notione eruenda parum proficeremus, nisi linguæ cognatæ auxiliatricem nobis præberent manum. פָּתַח in lingua Arab. significat: *superbivit*, in Syr. *lascivus & petulans fuit*, in Chald. *soluit, tumuit*. In Judic. IX: 4. Jer. XXIII: 32. & Zephan. III: 4. derivata hujus vocis conjuncta reperiuntur cum vocabulis, quæ *vanitatem* & *mendacium* denotant; unde *levitatem* & *inconstantiam* illis significari quidam conjecere. Cfr. VATER, l. c. & TELLER, Die heilige Schrift des Alten und Neuen

- v. 1. Samlens! ty jag vill förkunna er,  
hvad eder möta skall i kommande dagar!
- v. 2. Samlens! och hören! I Jakobs söner!  
hören eder fader Israel!
- v. 3. Ruben! du min förstfödde!  
du min mandom! förstlingen af min kraft!
- v. 4. Ditt öfvermod, din styrka  
håfver sig, likt det uppsvallande flodvattnet;  
du skall inret företråde äga;  
du betrådde din faders bådd,  
vanhedrade min fång, den du betrådde.

B

v. 5.

Testaments, P. I. ad h. l. LXX verterunt istam vocem per: *εξυβριζεν*. Libido effrenata, qua incensus erat Ruben, & quæ eum ad quævis mala patrandæ alliciebat, aquæ fluvij, extra alveum erumpentis, bene assimilatur.

*אל-תוותר*, *princeps non eris*, h. e. *plura tibi non competent jura, quam fratribus tuis*. Valuit etiam in gente Israelitica consuetudinaria ea lex, qua primogenito familiæ plura adscribebantur jura, quam ceteris liberis.

Loco *עלה* plurimi interpretum legendum malunt vel *עלה* in infinitivo vel *עלה* in participio vel tandem *עליך* *contra te*, h. e. *in tuum detrimentum*. Cfr. VATER l. c. LATHIUS, Pentateuchus Latine versus, & MEISNER, Nova clavis Veteris Testamenti, ad h. l. Sed eodem redit, quamcunque harum sequaris lectionum; & forsan injuste egeris, si singula vocabula, quibus scriptores canæ vetustatis usi sint, ad regulas gram-

- v. 5. Fratres sunt Simeon & Levi:  
arma violentiæ sunt gladii eorum.
- v. 6. Consilii eorum secreti non est conscientia mens  
mea,  
coetus eorum non est particeps anima mea:  
ira sua viros trucidant,  
lascivia sua heroes enecant.
- v. 7. Maledicta sit ira eorum;  
nam violenta est:  
& furor eorum;  
nam sævus est:  
distribuam eos inter Jacobum,  
dispergam eos inter Israelem.

v. 8.

matics, quales non nisi in linguam jam excultam quadrare possunt, referre coneris; in omnibus enim linguis, quæ non ultra infantiam culturæ suæ transgressæ sint, ejusmodi frequenter reperiuntur anomalix.

v. 5. אָחָיו *fratres*, non tam respectu *ortus*, quam potius respectu *consiliorum* & *facinorum*. Cfr. Hiob. XXX: 29. & Prov. XVIII: 9. ubi vox אָח in isto sensu obvenit.

מַכְרֵה, *gladius* a rad. כָּרַח, quod in lingua Arab. *prostravit* significat. Cfr. VATER l. c. Alii hanc vocem a rad. מָכַר Arab. مَكَر *fefellit* vel a Syr. مَكَر *desponsavit* derivantes eam explicarunt partim per: *fraudentum consilium*, partim per: *sponsalia*. Cfr. ROSENMÜLLER, MEISNER & DATHIUS l. c. Objurgat pater in hoc & seqq. vers. Simeonem & Levin de caede in Sichemitas commissa, cujus mentio fit Genes. XXXIV.

- v. 5. Bröder äro Simeon och Levi;  
mordvapen äro deras svärd,
- v. 6. Deras hemliga rådslag gillar ej min själ,  
i deras samquäm deltager ej mitt hjerta;  
i sitt raferi mörda de mån,  
i sin mordlyftnad slagta de hjeltar.
- v. 7. Förbannad vare deras vrede;  
ty den är våldsam:  
och deras hetta;  
ty den är grym:  
jag vill förskingra dem bland Jakob,  
förströ dem bland Israel.

B 2

v. 8:

- v. 6. סור (rad. ירסו *substravit*) lectulus, super quo decumbitur quietis causa; deinde consilium amicorum, in his lectulis haberi solitum; denique ipsum consilium arcanum. Cfr. MEISNER l. c. — Voci עקר, alias *eradicit*, notionem  $\tau\alpha$  *cedere* subjicimus, linguam Arab. consulentes, in qua  $\sqrt{\text{عقر}}$  *obtruncavit, interfecit*, significat. Cfr. VATER l. c.

שור *taurus*, synonymum cum אריש, ad virum corpore & animo robustum denotandum aliis quoque linguis usitatum. Cfr. *Bochartus* Hierozoicon P. I. L. II. cap. XLI.

- v. 7. Vocabulis יעקב & ישראל intelliguntur omnes ceteri Jacobi posterii, exceptis tribus Simeonis & Levi, quarum illa sedes suas non habebat contiguas, hæc vero inter reliquas tribus dispersa erat. Cfr. Jos. XIX: 1.

- v. 8. *Juda! te fratres tui celebrant:  
in cervice hostium tuorum manus tua:  
ad pedes tuos prosternunt se filii patris tui.*
- v. 9. *Leo juvenis est Juda:  
e præda, fili! ascendisti:  
crura flectens procumbit,  
instar leonis, instar lænæ:  
quis eum suscitabit?*
- v. 10. *A Juda non recedet sceptrum,  
nec e stirpe ejus deerunt duces;  
donec veniat princeps pacis,  
cui parebunt gentes.*

V. II.

- v. 8. הורה *celebravit*, cognatum Arab. *وآوى*, *tributum solvit*, & deinde: *laudes confessus fuit*, Cfr. MOSER Lexicon manuale Hebraicum & Chaldaicum ad h. vocem, Forte hoc verbum electum est ob paronomasiam; Judæ enim nomen inde derivatum est. Cfr. Genes. XXIX: 35.

Verba: *in cervice hostium tuorum* &c. significant: *hostibus cæsis & fugatis victoriam reportabis.* — השתחורה *prostravit se*, deinde: *veneratus est.* Græc. *προσθουεν*. Gentes Orientales venerationem suam erga superiorem genibus flectendis ostenderunt: qui mos hodie quoque apud eos valet. Sensus hujus commatis est: *te ut principem fratres tui venerabuntur, tuisque mandatis obedient.*

- v. 9. *Imaginem leonis* notatur ferocitas illa animi, qua in bellis gerendis excelluit tribus Judæ. כרע רבץ, de ani-